

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ioasias Simlervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOSIAS SIMLERVS  
Theologus.



*Me docet Historicum simul, Astronomumq̄, fuisse  
Patria, doctorem sed magis, alma, Dei.*

M. D. LXXVI.

IOSIAS SIMLERVS HELVETIVS  
Capellensis :

Elegantis ingenij, ac doctrinæ:  
Mathematicus nobilis, Historicus excellens:  
Quod tùm scripta eius, quibus patriam immor-  
talitati consecrauit, tùm instrumenta ab eo  
excogitata Astronomica te-  
stificantur:

Sacrofanctæ Theologia: in scholâ Tigurinâ  
Professor celebris:

Qui quanti non modò in docendo, sed & scri-  
bendo, tum acuminis, tum iudicij fuerit, vete-  
rum quoque Theologorum lectione confir-  
mati, lucubrationes eius in omni doctrinæ ge-  
nere in publicum editæ satis superq;  
ostendunt:

Morbis cum duobus sæuiss. calculo nimirum,  
& podagrâ conflictatus acerbè, annis  
aliquot prioribus:

Morte tandem obiit immaturâ, annum vix  
agens XLV: die secundâ Iulij, anno Do-  
mini M. D. LXXVI.

Y v

IN IOSIAM SIMLERVM.  
Theologum.

EPIGRAMMATA.

P. CANDIDI,

*Simleri quæ representat imagine vultum:  
Afficit hac oculos pulchra tabella tuos.  
Si queat excellens animi quoque pingier illa  
Gratia: nil oculi pulcrius aspicerent.*

THEOD. BEZÆ.

*Simlere, mi Simlere, quo superstitæ  
Tot mortui reuixerant:  
Quos ira nobis numinis, tam pauculis  
Ademit annis plurimos:  
Simlere, quem tremuit renatus Arrius,  
Tremuit renatus Eutyches,  
Vastator ille Polonia, hic Germania,  
Læsi flagella numinis:  
Heu subita & immatura te mors auferens  
Quàm multa tecum sustulit!  
Lamenta amicis quantæ, quot iustissimos  
Secum dolores attulit!  
Quos inter, ecce Beza quondam haud vltimus  
His irrigat te lacrymis:  
Beza reperito vulnere isto saucius,  
Communis ad tumulum patris.*

P AV-